

CARMEN PROHEMPTIKON,

17.

# ERVDITIONE ET

PIETATE PRÆSTANTISSIMIS

VIRIS AC, IUVENIBVS VVITEBERGA IN PATRI-

am redeuntibus, D. Caspari Fabricio Deberhegi, Ioanni

Miszkolcio, Iacobo Thurio, Valentino Szentpeteri,

Sigismundo Endridi, Georgio Sederkeni, Va-

lentiono Eckio Bartphensi, Michaëli

Mohino, & Andrea Agriensi,

amicis suis carissimis &

colendis,

Scriptum ab

AMBROSIO SZYKZAI

Calendis Aprilis,



DEBRECENI REG. FŐISKOLA  
KÖNYVTÁRA

VITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES

CRATO.

M. D. LXVII.

Istvánfi Református Egyházkerület  
Nagykönyvtára, Debrecen

RMK 398

# ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ.

*P*alladis instructi donis remeare paternas  
 Mens quibus est sedes, dulces quoq; visere fines  
 Pannoniæ, modo quos dirus depascitur hostis:  
 Linqere Leucoreæ modo quæ vos fata mouere  
 Sedis, Apollineosq; lacus & docta virorum  
 Agmina, Pieridum & resonantia versibus antra?  
 Quid num protensos vultis componere funes?  
 Pannonicum cætum quem nunc Viteberga pusillum  
 Albiacos inter populos bene pascit opimos,  
 Diuitijs non Cræse tuis, sed Palladis almæ  
 Deseritis? vestris priuantes vndiq; doctis  
 Colloquijs, quibus ampla fuit collatio rerum?  
 Non cadat in vestros talis sententia sensus,  
 Pergite quin potius si fas mutare statutum  
 Nos inter patrios longè remanere sodales,  
 Communis studij largasq; acquirere venas,  
 Pergamus solitoq; modo conferre fugaces  
 Sermones, varias quibus est res fallere suavis  
 Temporis in studijs horas communibus apti,  
 Hos inter media bellorum sede locati  
 Fluctus, hæc quorum est expers modo Leucoris alta  
 Turribus antiquis, vbi nunc pia turba docentum  
 Assiduas tolerat curas in parte docendi.  
 Fleat in aduersas igitur contraria partes

Nunc animos teneatq; diu sententia vestros,  
Nostrae ne subito consortia grata fatiscant  
Successus patrios propter quia Numinis alti  
Sollicitare manum, precibus votisq; potestis  
Nobiscum pariter Dominum & celebrare canendo  
Hic ubi Leucoream placidus circumfluit Albis  
Vrbem, quam nostis Musas coluisse sacratas.  
Hic est nulla fames, nulla est contagio pestis,  
Tartarica nullam rabiem patiemur agrestis  
Gentis, non Geticae clades, truculenta nec arma,  
Quae Mahometigenum populus modo gestat in oris  
Pannonicis, quibus omnis humus iacet obruta bellis.  
Aptior est igitur Musis sacratus amœnis  
Hic locus, Vngariae quam florida climata, cuius  
Turbat opus Martis res & solatia tollit.  
Hic verum Dominus populo quod dogma canebat  
Iudaico, post hæc Moses quae dogmata sparsit,  
Quicquid habent tandem diuina volumina vatum,  
Traduntur purè, memori quoq; mente coluntur  
Artes ingenuæ, quarum modo maxima cura est.  
Quando sed insignis doctrinae adiunxerit vsum  
Quilibet ex vobis, patriæ quo plurima fertis  
Commoda, quando quidem Graeiae Latineq; Camœnae  
Dona per assiduas scitu dignissima curas  
Rite, Palestini populiq; Idioma tenetis.  
Nil mea vota valent contraria fata ferentes,  
Quae

2  
+  
*Quæ contra video studui retinere sodales,  
Nunc vt fata volunt Dominus comitetur euntes  
Cum reuocent patriæ status & pia iussa parentum,  
Quis sine nil dulce est, igitur parere necesse est.  
Linquere nos igitur, patriæ quoq; visere terras  
Sollicitant causæ variæ ratioq; probata.  
Longior ob vtinam fieret coniunctio nostra,  
Quam peperit studij conformis semita nostri.  
Leucorea dum nos sequeremur in vrbe camænas.  
Quid melius nobis etenim quid suauius esse  
Possit amicitia ex paribus studijs bene ducta?  
Quod nunc fata negant, cunctos gestantia casus.  
Cogit at hic nostri niueus modo candor amoris  
Verba pusilla tibi breuiter doctissime Caspar  
Dicere, conuictus quoniam dulcisq; loquela  
Ambobus fuerat dum nos Viteberga teneret  
Bis duodena suo completrat signa meatu  
Magnus in orbe suo Titan dum munia carpis  
Palladis, Hospes arenosi ceu proximus Albis.  
Australis plaga Pannoniæ te mittit in vrbem  
Leucoream, recipit pars arctoa Pannonis at nunc,  
Cum socijs quibus vna fuit coniunctio vitæ.  
Felices igitur patrios contingere fines  
Possitis studijs, simul non parua precamur  
Præmia, Pannonicæ publi bene verba diserta  
Tradentes, Dominoq; diu seruire queatis.*

Itē bonis auibus, nec vos mala damna sequantur.  
Non etenim Pallas vestros Tritonia currus  
Carminibus petitur nostris conscendere, nec qui  
Creditus est vulgo saluos deducere cunctos,  
Qui varias errando vias per compita lustrant,  
Numina nec Diuūm petulans quæ inscicia finxit.  
Sed Dominus custos ductorq; comesq; viarum,  
Ex quo cuncta fluunt veluti de fonte perenni,  
Qui canitur seruare suos super æthera sanctos  
Spiritus Angelicos, per quos sibi seruat alumnos,  
Incolumesq; regit saluosq; penatibus offert,  
Oratur supplex vestros bene ducere gressus.  
Vtq; iter ingressis magna stipante caterua  
Angelici cœtus, quorum estis maxima cura,  
Sint comites: Qui teq; senex venerande sequuntur  
Linquere cum iussus Sodomorum Lothe virorum  
Oppida sulphureis penitus succensa fauillis.  
Elieser tandem qui te comitatus ad urbem  
Carrhas, vbi Domino fuerat bene culta dicata  
Virgo Rebecca tibi monstrauerat Angelus, & qui  
Tobia deduxit saluum te ritè parenti,  
Medica cum longis errasses regna diebus.  
Hostibus è medys diuinam duxit Iudith,  
Cui capite ablato cessit victoria dulcis.  
Hos inquam vobis mea Musa precatur adesse,  
Vt salui saluos nostros videatis amicos,

Docto.

3  
Doctorumq; chorum, Christo comitante, virorum,  
Quos saluere precor longos quoq; viuere in annos  
Vobiscum pariter Domini bene tradere dogma:  
Quod superest modo vos Dominus comitetur euntes. †

F I N I S.

